



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agrippinae, 1684

Auctoris Ad Lectorem Epistola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

AUCTORIS AD LECTOREM EPISTOLA.

Studii & componendi hujus Tractatus LECTOR occasionem mihi dedit frequens illius in omni foro occurfus. Tota enim Europa, quæ Catholicam agnoscit religionem, abundat Religiosorum familiis, Canonicorum Collegiis, aliis denique personis, quæ diversis Exemptionum privilegiis, Jurisdictionem Ordinariam quædamtenus elevant. Sed & forum Jurisdictione ordinaria seculari non paucas agnoscit exemptiones. Quis enim in Imperio nescit Austregas? in aulis Principum aulicos? Denique apud Monarchas & in togata armataque militia varios esse ordines, qui ordinariæ Jurisdictioni laicæ, (cui alioqui immediatè subessent) jugum non submitunt? hinc varii olim & adhuc quotidie utroque in foro casus exurrexerunt, quorum decisio eò difficilior adhuc visa fuit, quòd hactenus nemo quisquam fuerit, qui hanc materiam per jura utriusque Scholæ Doctorumque nostrorum hypomnemata dispersam in ordinem & unum veluti fascem studiosè collegerit. Id cum successivis pro re nata temporibus & casibus in celebri præsertim Leodiensium foro enascentibus, non una pertica, ut dicitur, sed distinctè ac sigillatim tractassem, complacuissemq; deteruit me nihilominus ab editione plebeius ille & rudis sermo, quo nostri rerum forensium periti utuntur, quorum vestigia sequi me par fuit, ne cæcozelus solus inter rot in affectatè loquentes viderer. Quanquam sanè *non opus est verbis*, ut in-

quit Cicero, dum res cuius causa verba quaesita sunt intelligatur,
Itaque satis sit non incidere in Censuram, de qua Horatius:

Reprehendite quod non

Multa manus & multa litura coercuit, & quod

Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Sed enim hunc laborem nostrum furtivis, ut dixi, horis susceptum, æquum & bonum Lectorem, cui ut autumo usui ille nonnunquam erit, boni consulturum puto, præsertim cum non careat multis diversisque casibus, jam ab ipsis viginti & amplius annis in Dicasterio Leodiensi sub æquissimis integerrimisque Officialibus Ioanne Dullardo, & Ægydio de Glen. à me non indiligenter observatis. Si quid porrò, *benigne Lector*, obscurius dictum aut omissum reperias, suppletum id habebis in Scholiis meis *ad Constitutionem Concilii Lateranensis*, hæc exemptiones modificantem, quæ jam secundo tomo sunt typis edita. Interea, si qui sint qui studium hoc meum subsannent, non sum æquior Bartholo, acutior Baldo, tersior Fulgoso, purior Alciato, clarior Paulo, & Sazio, quos tamen omnes optimè alioqui de utroque jure meritos, quis non videat ab leguleis & indoctis quibusdam illius ævi Libri perdis reprehendi atque vellicari?

Itaque,

Qui velit invidere, seque hoc mœrore fatiget:

Tu verò quisquis es, *benigne Lector*, hoc opere tibi, ut spero, compendioso, utere, ac feliciter vale.

INDEX